

alium mundum de novo sibi creasset, quem fortassis consumpsisset. Fuit etiam per potentiam in multa sanguinis effusione de regnis suis per proprios eiectus, quia princeps raro bonus in fine comprobatur, quem nobiles commenda[n]t, hic autem beatus, quem cives et sancta lauda[n]t rusticitas!

(13.) Princeps, qui pomposas et sumptuosas frequenter fovet curias ac splendidas coquinas, in multitudine ociosa nobilium ultra redditus sui principatus vel extendet iniuste ad aliena bona vel subditos suos^p plebeyos cum iniquis anguriabit exactionibus, in brevi deficiet, ut presumitur. Et, ut dixi, non tantum ab inimicis, sed etiam a curiis suis, quos taliter favebat, pauper deridebitur. A subdito quoque plebe maledicetur. Propterea exemplo dei agendum est, qui latitudinem celorum pro se servavit, terram autem modicam *dedit filiis hominum*, prout scriptum est: *celum celi domino terram autem* et cetera³².

(14.) Sicut dominus, qui *delicate nutrit servum suum*³³, reddit sibi eum^q rebellem, sic princeps, qui nobilem vel vasallum suum nimium datat, fa[ci]t sibi eum similiter quoque rebellem. Quod est contra hoc: Non *des alienis honorem tuum*³⁴. Et iterum non est *servus maior domino suo* et cetera³⁵. Idcirco Romani suis militibus primo^r militantibus dabant ordeum tantum pro stipendio, secundo militantibus triticum³⁶, qui vero sepe victores fiebant, his pecuniam parce tamen dabant, ut vult Vegetius³⁷.

(15.) Insuper hec et multa alia, quorum non est numerus, ex guerrarum continuacione perveniunt mala: Nam nobiles gladio, sacerdotes preda, cives oppressione, mercatores carcere, universitates penuria^s, rustici fame, artifices paupertate, milites timore, iuvenes et virgines tristitia, infantes negligencia, iumenta hostium voracitate plurimique peste peribunt. Exinde ager vix manipulum unum frumenti et castra in desertum ponentur et non erit, quis in eis habitet.

O utinam moderni principes sepe antiquorum regum et principum gesta perlegerent aut audirent menti imprimentes, proseguendo bona, mala vero vitando (142v) non solum sibimet et suis subditis, sed etiam toti mundo prodesse valerent, quia ideo libri scribuntur, ut ostendant viam ad celos. Et felix est illa civitas, que a philosophis regitur.³⁸

p) Tintenfleck über dem zweiten *s*
aus peccunia

q) ergänzt

r) Hs. primum

s) korr.

32) Ps. 113, 24 (16).

33) Prov. 29, 21.

34) Anspielung auf Prov. 5, 9.

35) Iob. 13, 16.

36) Cf. Polybius, Historien, 6, 38 u. 6, 39.

37) Anspielungen auf Vegetius, *Epitoma rei militaris*, 1, 13.

38) Cf. Boethius, *De consolacione philosophiae*, 1.4.5, hg. Ludwig BIELER (CC 94, 1957) S. 7.